



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Æstiva - A Dominica SS. Trinitatis, ad Dominicam decimamquintam
post Pentecosten

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

De Renovatione Votorvm. Prima die Recollectionis antecedentis. De ficu
instructuosæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44226

in asperis & abjectis, cum minus rationabiliter videntur imperata. Nam in his præcipue Christus obediendo eminuit, & nihil est excellentius nihil sublimius, nihil optabilius quam illud exercere in quo eminuit, cum in eo potissimum sit posita similitudo Christi: aut si quid humanum putas excellentius, vide quid putes, vide

quid cogites, nempe esse aliquid Christo sublimius, esse aliquid supra Christum, esse aliquid quod sit dignius quam esse Christo similem. Velle hæc id sentire?

Vide in 2. parte, Fer. 4. Cinerum, Sabbato Hebd. 4. post Pascha, Et Fer. 4. infra Octav. Ascensionis.

DE RENOVATIONE VOTORVM.

AC PRIMUM DE TRIDVANA RECOLLECTIONE QUÆ RENOVATIONEM ANTECEDIT.

Arborem ficu quidam habebat plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat?

At ille respondens dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno usque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, & si quidem fecerit fructum: sin autem in futurum succides eam.

Luc, 13.

EX hac Parabola desumitur materia considerationum totius tridui, in hunc finem, ut agnoscat Religiosus se vocatum in Religionem ut fructum ferat suæ conformem vocationi, se propterea interdum visitari à Domino qui debitum repetat fructum, quem nisi Religiosus reddat, periclitetur de sua vocatione & salute.

Quæ tria spectant tres differentias temporis, præteritum, præsens & futurum, in quibus ordinandis tota consistit perfectio ut ait sanctus Bernardus ad illa Moysi verba, *Vinam saperent & intelligerent, ac novissima præviderent. In quibus utique verbis, inquit, tria video nobis commendari, sapientiam, intelligentiam, providentiam. Arbitror sanè tribus ea assignari posse tem-*

Serm. 2. de Apost. Petre & Paul.

poribus, ut aternitatis quadam imago reformari videatur in nobis, præsentia moderantibus per sapientiam, præterita per intelligentiam & iudicantibus, novissima providentibus ad cautelam. Hac nempe spiritalis est exercitij summa, hac forma studij spiritalis, ut sapienter disponamus præsentia nostra, recogitemus in amaritudine animæ nostræ præterita, futura quoque sollicitè provideamus. Sobriè, & iuste & pie vivamus in hoc sæculo, ait Apostolus, ut videlicet in præsentibus observetur: ut iusta satisfactione præterita quæ nobis sine fructu salutis præteriere tempora, redimantur, ut pietatis clypeum immisnensibus de futuro periculis opponamus.

PRIMO